



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Exemplum contra inuidiam à magistro Rudolpho probatum, cap. 26

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

currit exemplum, quod vel memoria sit dignum, & ad  
 ædificationem necessarium. Referam tibi tamen quan-  
 dam sanctam inuidiam, quam te audire delectet.

## CAPVT XXV.

*Inuidia  
 facta.*

**A** NNO præterito in monasterio quodam or-  
 dinis nostri iuxta Frisiam, quod Iesse dicitur,  
 duæ paruulæ puellæ ad literas positæ fuerunt.  
 Quæ cum magno feruore discentes, satis inter se con-  
 tenderunt, vt vna alteri in studio & scientia superior  
 haberetur. Interim contigit vnâ infirmari, quæ cõ-  
 paris sui profectui inuidens, satis cœpit tentari, timēs  
 quòd interim multa discere posset, vocâsq; Prioris-  
 sam, cœpit illi supplicare, dicens: Bona domina, qua-  
 do venerit ad me mater mea, ego requiram ab ea sex  
 denarios, quos vobis dabo, vt non patiamini discere  
 sororem meam donec conualuero: timeo enim, ne  
 præcellat me. Ad quod verbû subrisit Priorissa, puel-  
 læ feruorem satis admirans. **APOLLONIVS**: Dic obse-  
 cō quæ est medicina contra inuidiam. **CAESARIUS**:  
 Obsequia charitatis.

## CAPVT XXVI.

*Remedia  
 contra  
 inuidiã.*

**M** Agister Rudolphus Scholasticus Colonienfis,  
 quem ego bene noui, & frequenter audiui, disci-  
 pulos suos instituens, exemplum contra inuidios  
 docuit, dicens: Frater aliquis quendã ex fratribus suis  
 ita exosum habuit, vt sine cordis sui cruciatu illum re-  
 spicere non posset. Quod ille sentiens, & vulnus cor-  
 dis eius sanare cupiens, fratrem tam periculosè tenta-  
 tum, imo in ipsa tentatione omnino superatum, ob-  
 sequiis charitatis ad suum amorem, quantum potuit,  
 inclinavit. Capitale eius vertit & mollificauit, vestes  
 excussit, calceamenta circa lectum cõposuit, & quic-  
 quid ad illius commodum esse nouerat, in quantum  
 licuit & potuit, exhibuit. Sic ille inuidus obsequiis e-  
 ius deuictus, & ad cor reductus, conceptum inuidiæ  
 venenum exspuit, & quem prius oculo æquo respice-  
 re non potuit, plus postea cæteris dilexit. Hæc de vi-  
 tio inuidiæ pro exemplo dicta sint. Hoc vitium quia  
 i. Ia. 4. cæteris Deo, qui charitas est, plus videtur esse contra-  
 rium,

ium, idcirco ab omni homine magis cæteris vitijs est vitandum.

## CAPVT XXVII.

**Q**VARTO loco ponitur Acedia, quæ viris religiosus solet esse satis importuna. APOLLON. Quia nomen huius vitij aliquantulum barbarè sonat, quid sit acedia, vel vnde dicatur, scire desidero. CÆSARIUS: Acedia est ex confusione mentis nata tristitia, siue tædium & amaritudo animi immoderata, qua iocunditas spiritalis extinguitur, & quodam desperationis præcipitio mens in semetipsa subuertitur. Dicitur autè acedia, quasi acida, eo quòd opera spiritalia nobis acida reddat & insipida; de qua per Salomonem dicitur: Manus remissa tributis seruiet. Item, Pigrum dejicit timor à bono opere: animæ autem effeminatorum esurient. Dicit autem de ea Seneca: Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit. Acediæ siue tristitiæ propagines sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita. Acedia multos tentat, & multos præcipitat. APOLLONIVS: De tentatione huius vitij exempla subiungas. CÆSARIUS: Audi quam sit periculosum acedia vexari.

## CAPVT XXVIII.

**M**ONACHVM quendam diabolus, sicut exitus probauit, ita reddiderat acediosum, vt quotiens esset ad matutinas surgendum, statim ex quadam pusillanimitate & timore vigiliarum, sudore perfunderetur. Putans esse ex infirmitate, iacuit, vestibus se operuit, & sicut ostium, secundum Prouerbiū Salomonis, vertitur in cardine suo, ita piger ille vertebat se in lecto suo. Nocte quadam ad signa notarum surgentibus cæteris omnibus, festinantibusque ad diuinum officium, cum ille surgere tentaret, audiuit de sub lecto, quando iterum verante acedia se reclinaret, vocem quendam incognitam, clarè satis sibi dicentè: Noli surgere, noli sudorè tuū interrumpere, quia non expedit tibi. Tūc primū seriens sibi à diabolo per vitium acediæ esse illusū, a fantastico illo sudore

*De Acedia.*

*Prou. 12*

*Prou. 13*

*Seneca epist. 1.*

*Acedia quæ periculosa*

*Prou. 26*

dore